



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De Præsentia Eucharistiæ ex comparatione eiusdem cum manna

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De Præstantiâ SS. Eucharistiæ ex com-
paratione eiusdem cum mannâ.

I. **M**anna datum Israelitis in deser-
to, quod Angelorum ministe- *Exod. 16.*
rio paratum in similitudinem pruinae *Num. 11.*
cadebat super terrâ, frangebatur mola
& coquebatur in olla, non conferebat
animæ vitam spirituales, nec corpori
eternam, sed naturalem tantum vitam
conseruabat. At panis hic mysticus
nobis è cœlo datus, qui opera Spiritus
sancti paratus est in vtero D. V. attri-
tus mola laborum, subactus aqua tri-
bulationum, persecutionum, tormen-
torum, excoctus igne charitatis in ca-
mino Crucis, spirituales vitam ani-
mæ, & corpori olim vi participatio-
nis huius immortalis alimonie resus-
citando æternam præbet, iuxta illud
Christi: *Patres vestri manducauerunt* *Ioan. 6.*
manna in deserto, & mortui sunt. Hic est
panis de cœlo descendens, ut, si quis ex ipso
manducauerit, non moriatur. Et: Qui
manducat meam carnem habet vitam æ-
ternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo
die. Quantò ergò hic cœlestis panis
veteri manna dignior; quantò proin-
de maiori reuerentiæ, gratitudinis, a-
moris, deuotionis affectu sumendus?

II. Man-

Psal. 104. II. Manna vetus erat salutiferum, à morbis corporis Israelitas præseruans. Vnde non erat in tribubus eorum infirmus, occasione illius cibi, mortem tamen corporis non arcebat, nec ægritudines animæ curabat: At nouum nostrum, & verum manna, est pharmacum immortalitatis, quod & animam à spiritualibus morbis præseruat, languores cōtractos curat, insuper & corpori resuscitando immortalitatē communicat. Nam si dignè sumatur, peccatorum venialium maculas eluit, gratiam eas deinceps cauendi tribuit, tentationum impetus frangit, passionum indomitaram vim reprimat, corpori, cui vnitur, gloriosæ resurrectionis spem impertit.

Quanta ergo fiducia, gratitudine ac deuotione ad hoc diuinissimum Alexipharmacum nobis tot morborum generibus in hoc exilio obnoxijis, accurrendum?

Sap. 16. III. Manna erat ex natura sua vnus saporis, videlicet, quasi panis oleati, sed ex diuina gratia & prouidentia bonis & electis præstabat omnē saporis iuanitatem. Deseruiens enim vnus cuiusque voluntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur. At nostrum hoc cœleste manna pa-

na palato quidem sapit panem: sed spiritui omnes diuinarum deliciarum suauitates. In huius enim participatione cibi mens deuota, omnes, quos experit, affectus, sensus, gustusque spirituales compunctionis, humilitatis, gratitudinis, amoris, deuotionis, zeli omnes diuinarum illustrationum, impulsuum, uisitationum thesauros absconditos inuenit.

Quanta ergo auiditate ad hanc celestem mensam, in qua omnes coelestes deliciae proponuntur, nobis anhelandum? quanta cura & sollicitudine animarum nostrarum sinus omnes ab omni imperfectionum puluere excutiendi, omnium uirtutum ornatu instruendi, & frequentatis piorum desideriorum & amoris affectuum flatibus dilatandi, ut diuinissimis hisce delicijs largè mereantur impleri? Gratitude, amor, desiderium crebrius, praemissa accurata praeparatione deuotè communicandi.

*Quod sit memoriale & compendium
omnium mirabilium Dei.*

III.

CHristus Dominus hoc diuinissimum Sacramentum tanquam uiuum ac perpetuum monumentum omnium mira-

mira-